

C V D

A T G G

1 3 7 2

100
100

9. 4. 61

6
w

Theologie

E. VII 441.

DEVOTIS=

SIMAE ORATIONES ET

MEDITATIONES IORDANI

quondam Monachi ordi=
nis D. Augustini de
Eremo &c.

DE

MORTE, CRUCE, VVL=

NERIBVS, ET PASSIONE DO=

mini nostri IESV CHRISTI.

QVAE

VSVM, FRVCTVM ET

mysteria Sanctae dominicae passi=
onis breuiter tradunt.

NUNC EMENDACIVS ET SYN=
cerius quam aliàs unquam editæ.

Cum præfacione Hermanni Hamel=
manni L. T. de Iordano ipso, & hu=
ius scripti vtilitate: Deinde de fructu
passionis CHRISTI.

M. D. LXX.

MORTUUS

IN ANNO DOMINI MDCCLXXII
MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS

MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS

MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS

MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS

MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS

MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS

MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS

MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS

MORTUUS EST DOMINUS
MORTUUS EST DOMINUS



AMPLISSI=

MO ET SPLENDIDIS=

SIMO PRINCIPI AC DOMINO D.

BORCHARDO, ex veteri Nobilium ab

Oberch familia profato Præsuli

Hildesimensi, &c.

Suo Domino gratiosissimo &c.

S. D. in Christo.



AMPLISSIME & Reue=

rendissime Præsul, quoties re=

currit tempus publicè tractan=

di in templis passionem domini=

cam, diligenter circumspicere

soleo, ut aliquid exquisitum ex

Patribus siue pluribus siue uno

uel altero colligam, quod ad illustrationem & de=

clarationem dominicæ passionis, atq; ad explican=

dos fructus tanti meriti, suauissimi CHRISTI,

planissimè pertinere possit. Ita nunc mihi ad manum

uenère IORDANI Orationes deuotæ ex quibus

excerpsi utiliores & magis necessarias meditationes,

quas cum hac mea præfatione uolui ædere & V.

Cels, deuotè inscribere. Cur uerò tantoperè sim sol=

licitus in Patrum Meditationibus, soliloquijs, obser=

A 2

uatio=

uationibus & sententiosis orationibus siue confessi-
onibus, quas habuerunt & scripserunt de passione
Domini nostri IESV CHRISTI, colligendis &
expendendis, hæc est causa, ut magis beneficium
filij DEI innotescat infirmis. Nam nihil est certius,
quam ipsos Patres sanctos, qui ante nos fuere, quo-
ties in meditatione & consideratione dominicæ passi-
onis occuparentur, siue de seipsis cogitarent aut cor
suum coram DEO expanderent, quum ita inquam
essent ingressi circulum iustificationis, plane iam
desperasse de suis meritis ac operibus, atq; tutissime
in sinu & beneficijs Christi magna spe & leta fide
tuto requiescisse. Hinc recte ait Leo papa in sermo-
ne 12. de passione Domini: Effusio pro iniustis san-
guinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam di-
ues ad pretium, ut si uniuersitas captiuorum in re-
demptorem suum crederet, neminem sane unquam ty-
rannica uincula tenerent &c. Ipsius itaq; meritum,
& sola gratia DEI, non OPERA, non alia sa-
tisfactio nos iustificare & saluare possunt, nisi me-
ritum CHRISTI. Non iustificamur (ait Paulus)
nisi per fidem IESV Christi, hoc est, sola fide. Nam
ueluti dicit: Non est potestas nisi a Deo, id est, a solo
Deo est. Talis oratio est æquiualens apud Dialecti-
cos: ideo recte ait Theophylactus in fine Commenta-
riorum suorum ad Romanos: Gratia Christi & pax
tutabuntur nos, qui nihil ex operibus nostris spera-
mus posse salutis locum inuenire, sed quicquid est
Spei,

spei, id omne diuinae gratiae ac clementiae accense-
mus, quibus & demonium laqueis superiores
euasimus qui sunt sub pedibus nostris, contriti in
Christo IESU, &c. In illam sententiam multi
Patres & Ecclesiae Doctores sunt pie locuti, ut ali-
bi a nobis diuersis in opusculis explicatum & demon-
stratum est. Nam ipsi sanctissimi maiores facile cum
Ecclesiaste Salomonis cap. 7. considerarunt, non esse
hominem in terris, qui non peccaret, etsi bona face-
ret. Item illud diligenter expenderunt quod Prouer-
biorum cap. 24. legitur: Septies in die cadit iustus,
& resurgit &c. Itaque quoties cor suum expande-
bant in orationibus, meditationibus, soliloquijs, ac
confessionibus, aut se sistebant coram tribunali DEI,
nulla protulere opera, nullas ceremonias, nulla exer-
citia sua, nullas quoque alias creaturas in subsidiū uo-
carunt, nisi unicum filium Dei, cum omnibus suis me-
ritis, sola fide apprehensum quem ut solum mediato-
rem, intercessorem, summum Pontificem, aduocatum,
& opitulatorem semper in tali conscientiae certa-
mine agnouerunt & repudiatis omnibus alijs in hoc
solo eiusque passione, morte & cruciatibus tutissime
quieuerunt, ita quoque de se & sua aliorumque ope de-
sperarunt dicentes cum Dauide, Domine ne intres in
iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in
conspectu tuo omnis uiuens. Item, Recordabor Domine
iusticiae tuae solius, quasi dicat Dauid, sic interpre-
tante Augustino: Non mea potero meminisci iusticiae,

sed o Deus tue solius: in me nihil aliud quam peccata inuenio, in te gratiam & misericordiam &c.

Veluti autem Patres ita expositi coram DEI tribunali, aut in agone siue pauoribus conscientiae, soli & unico Christo innixi sunt, ita quoq; non direxerunt suas orationes ad Sanctos, uel ad Angelos, sed ad Christum, atq; alacriter orantes & appellantes aeternum Deum & patrem, in nomine filij sui Domini nostri IESU Christi, sciuerunt optimè nullum esse ex omnibus Sanctis, & ne quidem ex Angelis, qui ipsis patrocinari & astare posset in die iudicij, ueluti de Origene contra Origenicos Epiphanius loquitur. Quem obsecro alium possemus Deo Patri digniorem & acceptabiliorem, uel etiam chariorem producere, sistere & offerre opitulatorem ac intercessorem, quam unicum filium DEI, de quo ipse pater in magno illo concilio conclusit, & haec uerba, Matth. 17. protulit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, ipsum audite &c. Quem etiam Paulus 1. Timoth. 2. Veluti unum ait esse Deum, ita quoq; unum Mediatorem uel Conciliatorem inter Deum & homines constituit? Hinc rectè scribit Augustinus in Meditationibus suis, sic orans ad Deum patrem: Quid enim est dulcius quam genitorem in nomine unigeniti inuocare? Patrem in recordatione filij ad pietatem inflectere, Regem charissimæ sobolis denominatione mitigare: Sic enim solent rei carceribus eripi,

eripi, sic commancipati solent uinculis liberari, sic
tristem accipientes sententiam capitis, non solum
absolui, sed insuper nancisci insolitam gratiam, dum
modo iratis Principibus dilectæ prolis intimaerint
charitatem: Sic delinquentes seruuli euadunt suppli-
cia dominorum, dum pro eis interuenit dulcedo filio-
rum: Sic te nunc omnipotens Pater, per omnipoten-
tis filij charitatem postulo, educ de carcere ad confi-
tendum nomini tuo, animam meam, libera me à uin-
culis peccatorum, per coæternum flagito filium &
unicum tibi natum, meq; cui propria merita leta-
lem minantur sententiam, pretiosissimæ ad dexteram
tuam confedentis prolis interpellatione restaura
placatus ad uitam. Quem enim alium dirigam
intercessorem tibi nescio nisi hunc qui est propitia-
tio pro peccatis nostris, qui sedet ad dexteram tu-
am, interpellans pro nobis: Ecce aduocatus meus
apud te Deum Patrem, Ecce Pontifex summus, quæ
non alieno eget expiari sanguine, qui proprio re-
fulget cruore: Ecce hostia sancta beneplacens &
perfecta in odorem suauitatis oblata & accepta: Ec-
ce agnus sine macula, qui coram se tondentibus ob-
mutuit, qui alapis cæsus, sputis illinitus, opprobrijs
adfectus, os suum non aperuit: En qui peccatum non
fecit, peccata nostra pertulit, & languores nostros
suo liuore sanauit, &c. Hæc ille. Idem libro de
uisione infirmorum cap. 2. (tomo 9.) sic ait: Tu-
tius & iucundius loquor ad meum IHESVM,

Quam ad aliquem sanctorum Spirituum Dei. Plus debet mihi Christus quam alicui caelestium Spirituum. Quod tu es, fieri dignatus est Deus (nempe homo) non autem factus est, quod est angelus &c.

Interim quidam ex illis, qui hodie Inuocationem sanctorum stabiliunt, falso Augustino assignant concionem, quæ dicitur II. sermo de natiuitate Christi, ubi tribuitur Mariæ, quod ipsa illam gratiam promeruerit pariendo mulieribus, quam Christus uiris promeruit & impetrauit, &c. Iam certum est sanctissimo patri Augustino nihil horum in mentem uenisse, sed potius illum sermonem suppositicium esse: Et si alibi appellare uideatur sanctos, qui uel in constanti pro Christo martyrio, uel in catholica fidei confessione obdormierant, & similiter honorare debito encomio uideatur: tamen expressè ubiq; docet sanctorum merita nihil esse aliud quam dona Dei. Item lib. 7. confessionum cap. 18. sic ait: Quærebam uiam comparandi roboris, quod esset idoneum ad fouendum te, nec inueniebam donec complecterer mediatorem Dei & hominum IESVM Christum: imo ipse pater Augustinus in libro de uera Religione & libro 20. contra Faustum Manichæum omnino negat diuinum honorem, ut est inuocationis & adorationis, exhiberi debere sanctis, qui sunt in domino mortui. ipse quoq; Epiphanius reputat hæresim esse, inuocare & adorare Mariam quia propterea reprehendit Collyridi-

vidianos lib. 3. Tom. 2. heresi 29. Vbi dicit non quidem Angelos adorari nec Heliam nec Ioannem, multo minus Annæ filiam Mariam cum sit creatura, licet sit honore omni dignissima. Sanctis quoque inuocationem & adorationem denegat Cyrillus libro 6. contra Iulianum: Ambrosius quoque super Epistol. ad Romanos commentans scribit non esse opus novos querere, ut in aulis Regum sit patronos, quum nos & affabilem & benignum habeamus intercessorem & aduocatum Christum apud Deum patrem &c. Et dixit Christus ad Mariam intercedentem pro nouis coniugibus carentibus uino in nuptijs, Quid mihi tecum mulier? nondum uenit hora mea: at illa interim remittit ministros, & ita per consequens nos omnes ad Christum dicendo: Quicquid ille præceperit, hoc facite. Ut igitur ibi reijcit intercessionem matris secundum carnem Christus propter superstitionem uitandam, ita ipsa rursus omnes ad filium dirigit, idque merito. Nullius enim sancti morte & merito sumus liberati à morte & diabolo, nullus sanctorum nos à reatu peccatorum absolueret potuit, nisi solius IESU Christi gratia, obedientia & mors: imo ipsi sancti quotquot sunt saluati, tantum per hunc IESUM sunt saluati, Actor. 4. & 10. Ideo rectè dixit Ioannes in sua Canonica 1. Ioan. 2. (seipsum quoque includens in numerum peccantium & ut expiatione Christi opus habentem, ueluti quoque Ioannes Baptista dicit, Ego opus habeo ut à te baptizer.) Si quis peccauerit, aduoca-

tum habemus apud patrem IESVM Christum iu-
stum: Et ipse propitiatio est pro peccatis nostris, &
non tantum pro nostris, sed etiam pro totius mundi.
Super hac Apostoli uerba Augustinus in tractatibus,
quibus explicat Canonicam Ioannis, commentans sic
scribit, Ille talis uir non dixit, Aduocatum habetis
apud patrem, sed si quis peccauerit, aduocatum, in-
quit, habemus, Non inquit, habetis, nec me habetis
dixit. Sed fratres IESVM Christum, ipsum in-
quam apud patrem habemus aduocatum, ipse est pro-
pitiatio peccatorum nostrorum: Hoc qui tenuit hæ-
resim non fecit &c.

Ipse quoq; Leo 1. Papa ait sermone 1. de Passio-
ne Christi: Neq; Patriarchis, neq; Prophetis, neq;
cuiquam omnino sanctorum, nisi in redemptione Do-
mini nostri IESV Christi salus & iustificatio est.
Idem sermone 12. de passione Domini: Acceperunt iu-
sti, non dederunt coronas, & de fidelium fortitudine
exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ: Sin-
gulares quippe in singulis mortes fuerunt, nec alteri-
us cuiusquam debitum suo funere soluit quisquam, cum
inter filios hominum SOLVS Dominus noster IES-
VS Christus extiterit, in quo omnes crucifixi,
omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiam sunt sus-
citati: de quibus ipse dicebat, Cum exaltatus fuero,
omnia traham ad meipsum. Fides enim uera iustifi-
cans impios & creans iustos, ad nature suæ tracta
participem (Christum) in eo aequirit salutem, in
quo

quo se inuenit innocentem, quia unus est Mediator in-
ter Deum & homines homo IESVS Christus &c.

Itaq; illi sunt miseri qui ex quotidianis Euange-
lijis, & ex lectione dominicae passionis non percipi-
unt ardentissimum erga nos amorem Christi, ipsius
alacrem uoluntatem nos iuuandi, suauem pro nobis
intercedendi & nostras preces percipiendi & exau-
diendi promptitudinem, ut audeant accedere iuxta do-
ctrinam Epistolae ad Hebraeos, cum fiducia ad thronum
gratie, de qua re in 7. 8. 9. & 10. capitibus multa
quae nobis hunc unum Mediatorem Christum ut in-
tercessorem, unicum, aeternum, semper uiuentem pon-
tificem ac patronum exprimunt, leguntur.

Verè illi in ipsa luce caecutire uidentur, qui praes-
terito creatore ad creaturas se conuertunt, qui post-
posito uero propitiatorio & solo opitulatore Chri-
sto, sanctos homines ante multa tempora in Domino
mortuos (qui tamen nos non exaudiunt teste scriptu-
ra Esaie 63. Dum Abraham ignoret nos, & Isaac
nesciat nec agnoscat nos, Tu tamen pater noster & re-
demptor noster es in saeculum) quasi is unquam fuerit
rigidus, austerus & asper ad uel erga aliquem accedē-
tium, quasi ille non fuerit mitior, affabilior, benigni-
or, placidior, & ad quaelibet paratior ac promptior,
quam omnes unquam sancti? Postquã Christũ hospitio
non exciperent Samaritani, Lucae 9. dixerunt Iacobus
& Ioannes, Domine uis dicamus ut ignis descendat de
caelis & consumat illos, quemadmodum Helias fecit?

Conuersus

Conuersus autem I E V S increpauit illos dicens:
Nescitis cuius spiritus estis uos: Filius enim ho=
minis non uenit ad perdendum animas hominum, sed
ad seruandum &c. Ecce quam diuersus fuit in
CHRISTO, & cōtrā in duobus alioqui praecepis
Apostolis affectus & Zelus. Quem ille obsecro un=
quam abiicit, quos neglexit? nonne potius omnes ad
se inuitauit dicens Matth. 11. Venite ad me omnes qui
laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos? non=
ne hīc humilis & delectabilis Christus pauperes,
cecos, paralyticos, uiduas, demoniacos & miseros
suscepit & sanauit promptē & libenter? Nonne in
ipso agone suo iamiam luctans cum diabolo & mor=
te, positus in magnis angustijs & affixus cruci, se fa=
cilem & obuium praeuit dextero latroni? Et ne
quis putet alium esse Christum factum post resurre=
ctionem, uideamus obsecro, quanta pietate Petrum nu=
per grauiter lapsum, & reliquos ab ipso paulō antē
fugientes discipulos exceperit & consolatus sit. Non=
ne cum ipsis amice agit? salutem primo precatur, de=
inde ipsos affatur benigne, tertio manus & pedes ostē=
dit, quarto, adhuc apud diffidentes discipulos edit, &
quinto, propter unum Thomam redit, nec cum illo
duriter agit. Quid? an non post Ascensionem su=
am, & intercessionem ac curam fidelem pro Ecclesia
& suis Christianis declarat in Exemplo Stephani ago=
nizantis, & in deijciendo Saulo, cui dicit, Saule,
quid me persequeris? &c.

Interim

Interim ut nunc Christus non est acceptor personarum, sed ueluti alijs se promptum exhibuit semper, ita adhuc idem erit quotidie nobis, ideo dicit ad Apostolos Marci 13. Quod uobis dico, omnibus dico. Et recte dixit Crystostomus in expositione 2. in Matth. homilia 17. Quicquid Apostolis loquitur Christus, Ecclesie loquitur &c. Sic ipse Christus Ioannis 17. non solum pro tunc credentibus, sed etiam pro nobis adhuc credituris orauit ad patrem: imo ipse nos inuitat & admonet Ioannis 14. & 15. ut nos per ipsum tanquam uerum intercessorem, & in ipso uel in ipsius nomine semper interpellemus, inuocemus & adoremus patrem, tunc enim fore ait ut exaudiamur.

Recte igitur fecit IORDANVS hic noster, qui fuit Monachus ordinis Augustiniani de S. Ere-
mo, & claruisse dicitur circa annum Domini 1410. quod ad ipsum CHRISTVM tanquam unicum mediatorem dirigat se & nos doceat quomodo oratione possimus nobis Christi passionem applicare, ut discamus fidere uni Christo & in ipso solo adiutore nitamur. Si hoc uidit Iordanus suo tempore, multo magis id nos decet modo cordatius cogitare hodie.

Hæc uolui ad V. Cels. Ampliss. Presul præfari. Nam cum has meditationes ac orationes apud me uideret Magnificus doctrina ac multis præclaris doctibus instructissimus D. Franciscus Mutzel-
tinus

tinus I. Licentiatus digniss. V. Cels. Cancellarius, &c. meus Patronus, omnino mihi erat autor & suasor, ut V. Cels. reuerenter has inscriberem, & ita sub prælum reuocarem. Fore enim dixit, ut hæc deuotæ preces possent V. Cels. in hac sua senectæ magna & graui, tum quoq; in hoc quadragesimali tempore eidem esse utiles, gratæ & acceptæ: Id uero non tam de V. Cels. quam etiam de Splendido Vestra Cels. Capitulo Cathedrali, ac alijs referebat: Opto igitur ex animo, ut aliquid lætitiæ spiritualis hæc nostra præfatio, & hæc à nobis collectæ ac congestæ preces Iordani, V. Cels. totiq; eiusdem V. Cels. Capitulo Nobili & egregio, aut saltem quibusdam personis cordatioribus in eodem siue in alijs Capitulis & monasterijs V. Cels. subditis adferant: Nihil enim magis cupio, teste CHRISTO, cuius hic causa agitur, quam ut omnes uestri Ecclesiastici uobiscum & has Meditationes IORDANI, & simul hanc nostram præfationem dignentur in timore DEI legere & expendere. Non dubito quin ex eis multi cum V. Cels. non solum cogitent de ueritate inquirenda, sed etiam quomodo post hanc ærumnosam uitam consequantur æternam salutem. Id & IORDANVS noster & hæc parua Præfatio nostra mediocriter docet.

Quod superest oro V. Cels. & omnes celebres

&

prestantes Dominos inter V. Cels. Ecclesiasticos, ut hæc boni consulere, piè suscipere, & non sine graui iudicio expendere dignentur.

Dominus IESVS nos omnes conuertat & efficiat, ut in illo unum simus, Amen. Datum Ganderhemij, Dominica 3. Quadragesimali, ANNO Domini 1570.


V. Cels.

deditis.

Hermannus Hamelmannus
Licentiatus T.



DE.



DEVO.



DEVOTIS-

SIMAE ORATIONES ET
MEDITATIONES IORDANI, DE
vulneribus & crucifixione Domini no-
stri IESV CHRISTI, quæ usum,
fructum, & mysteria sanctæ
dominicæ passionis bre-
uiter nobis propo-
nunt.

DE MOESTITIA CHRISTI

in horto.

Domine IESV Christe, fili DEI
viui, qui pro me misero peccato-
re, & pro totius mundi redemptione,
imminente hora passionis tuæ, tristari,
pauere, & moestus esse voluisti: Doce
me omnem tristitiam cordis mei ad te
Deum meum referre, & in vnione tuæ
tristitiæ in te meam vincere, & tecum
amanter sufferre.

DE SVDORE CHRISTI.

B

ODO.

O Domine IESV Christe, qui in oratione tua ab angelo confortari voluisti, & factus in agonia prolixius orans, guttas sanguinis decurrentis in terram sudasti: Præsta mihi virtutem orationis tuæ, vt quoties ad te oro, adsit mihi tuus angelus sanctus confortans me, quatenus recordatione tuæ passionis, feruore deuotionis accensus, & amoris tui dulcedine soporatus, lachrymarum guttas pro sanguine in cōspectu tuo valeam desudare, & spiritum semper habeam promptum, ad tuam immensam clementiam.

DE VENDITIONE CHRISTI

Domine IESV Christe, qui ab vno discipulorum tuorum vendi, & pro viliprecio vilipendi voluisti: Da mihi te pro nulla re transitoria nequiter commutare, & vilipensiones meas, pro tui nominis gloria equanimiter tolerare.

DE PRODITIONE DOMINI

Domine IESV Christe, qui a discipulo tuo Iuda tradi voluisti: Da mihi te nunquam tradere, nec in proximo,
nec

nec in te ipso, nec etiam in me ipso, calumniatoribus quoque meis amoris officium ^{meum} negare.

DE CAPTIVITATE

Domini.

Domine IESV Christe, qui a Iudæis sponte capi voluisti: Doce omnes sensus meos, intellectum pariter & voluntatem in obsequium tuum iugiter captivare, ut tua queam bonitate a morte perpetua præservari.

DE VINCULIS CHRISTI.

Domine IESV Christe, qui manibus ligari voluisti: Absolve quæso peccatorum meorum ligamina, atque charitatis vinculo & præceptorum tuorum funibus sic me constringe, ne unquam membra & animæ meæ vires ad tuæ contraria voluntati extendantur.

DE FUGA DISCIPULORVM.

Domine IESV Christe, qui electos tuos discipulos a te fugere permisisti: Suscipe me fugitium seruum tuum, & tene me virtute omnipotentiae tuæ, nec sinas me propria voluntate euagari.

ADDUCTIO DOMINI
ad Pontifices.

Domine IESV Christe, qui vincetus armata manu, tanquam malefactor de loco ad locum duci exprobabiliter voluisti, Da mihi hanc virtutem, vt nulla tentatione maligni spiritus, aut ab homine malo á tua semper beneplacita voluntate seducar.

DEDUCTIO CHRISTI
ad Annam.

Domine IESV Christe, qui ad Annam primum duci, eiq; presentari voluisti, dominetur quæso in me gratia tua, vt discam omnes actus meos, voluntates & desideria, priusquam in opus exeant, ad examen rectæ rationis tua gratia presentare.

DE PETRO.

Domine IESV Christe, qui á Petro Apostolorum tuorum principe ter negari voluisti, quiq; eum misericorditer respiciens, reatum suum deflere fecisti; Respice me oculo tuæ clementiæ, & da mihi te verbis & factis nunquam negare, & peccata mea digne deflere: atq; á vitijs & á casu peccatorum amplius præcauere.

DE

DE ALAPIS CHRISTI.

Domine IESV Christe, qui á ministro Annæ alapa cædi voluisti: Da mihi gratiam tuam, quæ me á laude tua nunquam cessare faciat, & ab ocioso sermone compescat.

DE DEDUCTIONE DOMINI

ad Caypham.

Domine IESV Christe, qui ab Anna ad Caypham pontificem duci voluisti, & coram eo examinari: Da mihi amore tuo malorum iudicium & uersutiam non metuere, & in conspectu tuo me tuta conscientia semper apparere.

DE FALSIS TESTIBVS CON-

tra Christum productis.

Domine IESV Christe, qui á Iudæis falsis testimonijs accusari voluisti, Da mihi falsas calumnias nemini inferre, & illatas pro tui nominis amore patienter sufferre.

QUOMODO LACERAUERIT

uestimenta Pontifex.

Domine IESV Christe, qui blasphemix crimen tibi imponi pertulisti, Custodi me, ne unquam nomen tuum per

me verbo vel facto blasphemetur, nec
maledictum aut blasphemia per os me-
um prophetetur.

DE DAMNATIONE CHRISTI.

Domine IESV Christe, qui ab im-
pijs Iudæis reum te esse mortis pro-
phanam vocem audire non timuisti:
Conserua me, ne reus æternæ mortis in-
ueniar in oculis tuis, sed per te vnum ab
eadem saluer & liberer.

DE CAPITE ET COLLO

eius grauato.

Domine IESV Christe, qui à Iu-
dæis colaphis cædi voluisti: Concede me
sic ore confiteri, vt operibus contrarijs
te nullatenus colaphizem.

DE SPVTIS IN CHRI-

stum iactis.

Domine IESV Christe, qui sputis
immundis Iudæorum, faciem tuam pul-
cherrimam pollui voluisti: Da mihi fa-
ciem tuæ imaginis nunquam in me meis
fœdis actibus aut cogitationibus inqui-
nare.

DE PALMIS IN FA-

ciem eius datis

Domine IESV Christe, qui in faci-
em

em tuam speciosissimam, Iudæorum
manibus cædi voluisti: Da mihi quæso
tuæ imaginis faciem in me semper illæ-
sam illibatamq; seruare: ne quando ini-
quitatum mearum sceleratis manibus
offendatur.

DE VELAMINE CAPITIS
EIVS.

Domine IESV Christe, qui faci-
em tuam gloriosissimam, in quam angeli
desiderant prospicere, velari permisisti:
Illustra me quæso luce cœlestis gratiæ,
& imaginem tuam in me non sinas ali-
quatenus obfuscari, velamenq; culpæ &
ignorantiæ à corde meo digneris auferre.

DE EXPALMATA FACIE
CHRISTI.

Domine IESV Christe, qui iudi-
brijs prophetare iussus fuisti: Propheti-
za mihi obsecro, vt sciam quis & qualis
ego sim miser, qui toties manu prauis
operis, pròh dolor, te percussi.

DE OBLATIONE CHRISTI
coram Pilato.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui
hora diei prima pro humana salute Pila-
to iudici præsentari voluisti: Da mihi

quæso amore tui nominis, nullam potestatem desplicere, sed omnibus maioribus meis digne obedire.

DE ACCVSATIONE CHRISTI CORAM
Pilato à falsis testibus.

Domine Iesu Christe, qui coram Pilato de multis falsis accusari voluisti testimonijs, custodi me à fallacijs iniquorum, & da mihi Christianam fidem non fallaciter, sed cum bonis veraciter profiteri.

DE MISSIONE CHRISTI
ad Herodem.

Domine Iesu Christe, qui à Pilato ad Herodem mitti voluisti, & remitti non renuisti, concede mihi quæso bono animo propter te maiorum subijcere imperijs, & alacri corde ab obedientiam sine mora concurrere.

INDVITVR VESTE ALBA
CHRISTVS.

Domine Iesu Christe, qui ab Herode multis sermonibus derisorie interrogatus, nec ei ad vllum verbum respondere curasti, Doce me, quando oportet propter te sermones derisorios patienter audire, & meam iactantiã cum silentio deuitare.

A C³

ACCUSATIO CHRISTI CORAM

Herode á Sacerdotibus.

Domine IESV Christe, qui coram Herode falsas contra te accusationes & verba repellere uoluisti, doce me iniquorum non frangi iniurijs, sacrarq; mysteria non propelle indignis.

DESPECTIO CHRISTI

in aula Herodis.

Domine IESV Christe, qui ab Herode, & exercitu suo sperni non recusasti: Da mihi mundanum fastum despiciere, & malorum despectus pro iusticia non curare.

CONTEMPTVS CHRISTI.

Domine IESV Christe, qui veste alba indui, & tanquam stultus ab Herode illudi uoluisti: Da mihi huius mundi prudentiã, quæ apud te stulticia est, caute declinare, & ad te, qui es vera sapientia, peruenire.

REIECTIO CHRISTI

ad Pilatum.

Domine IESV Christe, qui ab Herode ad Pilatum remitti, & per hoc inter eos amicitiam fieri uoluisti: Da mihi

Iniquorum aduersum me tollerantiam
non timere, sed eorum exercitatione
sic me proficere, vt tibi conformari
queam.

ELECTIO • BARRABAE

pro Christo.

Domine IESV Christe, fili Dei vi-
ui, qui hora diei tertia pro salute huma-
na i iudæis reprobari voluisti, petenti-
bus eis Barrabam dimitti, te vero vitæ
autorem crucifigi: Da mihi te creato-
rem meum præ omnibus semper elige-
re, & pro nulla re creata te vnquam re-
probare.

DENUDATIO IESV CHRISTI.

Domine IESV Christe, qui vesti-
bus tuis exui & flagellis verberari vo-
luisti: Da mihi veterem hominem nuda
peccatorum meorum confessione exue-
re, & in conspectu tuo me nudum nul-
latenus apparere.

FLAGELLATIO CHRISTI.

Domine IESV Christe, qui ad sta-
tuam ligari, & flagellis cædi voluisti: Da
mihi flagella paternæ correptionis li-
benter suscipere, & te meis peccatis
nunquam denuo flagellare.

IN.

INDVTIO PURPUREAE VESTIS.

Domine IESV Christe, qui purpurea veste illusorie indui voluisti: Da mihi iugem memoriam tuæ passionis induere, & peccata mea charitatis purpura operire.

DE CORONA SPINEA.

Domine IESV Christe, qui corona spinea coronari voluisti: Fac me digna pœnitentia sic compungi, vt à te merear in coelestibus coronari.

DE ARVNDINE EIVS.

Domine IESV Christe, qui arundinem pro sceptro in dextera tibi dari voluisti: Obsecro vt imbecillitatem meam dextera tuæ potentia sustentare digneris, vt regnum tuum iugiter in me confirmetur.

DERISIO ET DELV-

SIO IESV.

Domine IESV Christe, qui à militibus genu flexo dicentibus, Ave rex Iudæorum, irrisorie adorari voluisti: Præsta mihi te Deum meum in spiritu & veritate adorare, & te regem meum venerabiliter salutare.

COLA

COLAPHIZATIO IESV.

Domine IESV Christe, qui à militibus colaphis cædi voluisti: Fac me verbis & operibus tibi semper plaudere, & aliorum opera etiam mala in bonum mihi concede conuertere.

GRATIARVM ACTIO.

Domine IESV Christe, pro singulis & vniuersis beneficijs tuis, quæ sanctissima diuinitas tua, in fragilitate nostræ carnis operata est pro salute nostra super terram, accessus enim tuus decus & disciplina, tactus tuus salus & medicina, sermo tuus veritas & vita, exhibens cunctis multa beneficia, surdis auditum, mutis loquelam, cæcis visum, leprosis sanitatem seu mundationem, mortuis vitam, à dæmonijs obsessis liberationē, omnesq; ad te fugientes misericorditer ac benigne ab omnibus tam infirmitatibus quam peccatis liberaisti, atq; paterno quodammodo affectu nostram salutem procuraisti, Pro his omnibus & multis ac varijs alijs tuis innumerabilibus & incompræhensibilibus bonis, quæ tu Deus à principio vsq; in æternum operaris in nobis, sit tibi honor

nor & gloria, per infinita seculorum
secula, Amen.

DE CHRISTO SPVTIS CON=
sperso in pretorio.

Domine IESV Christe, qui á mi=
litibus Pilati delitiosissimam faciem tu=
am conspui voluisti, Præsta mihi faci=
em tuam in Sacramento Eucharistiæ
sumptione indigna non polluere, &
conscientiam meam immundis cogita=
tionibus non foedare.

DE PERCVSSIONE
capitis eius.

Domine IESV Christe, qui arun=
dine caput tuum percuti voluisti: Præ=
sta mihi quæso vitam meam, & te caput
nostrum non offendere, sed tibi placidis
moribus deseruire, & vera spe fidere.

DE EXITV CHRISTI
é pretorio.

Domine IESV Christe, qui cum
insignijs illusorijs á Pilato Iudæis osten=
tari voluisti: Da mihi ostentationem
hanc vanæ gloriæ deuitare, & ante con=
spectum tuum cum eisdem insignijs my=
sticis apparere.

DE

DE CLAMORE IUDAE-
orum, crucifige, &c.

Domine IESV Christe, qui terri-
biles voces Iudæorum, crucifige, cru-
cifige clamantium audire non expau-
isti: Da mihi inimicorum meorum ver-
bis execrabilibus non terreri, & linguã
meam in propinquorum nocumentum
non inferre.

DE TRIBVNALI PILATI.

Domine IESV Christe, fili DEI
viui, qui hora diei sexta pro salute huma-
na ad tribunal Pilati adduci, & in iudicio
sisti voluisti: Da mihi ante tribunal men-
tis meæ conscendere, & me ipsum de
culpīs meis conscientiaē testimonio di-
strictus iudicare, iudicium quoq; tuum
in aduersis tam patienter subire, vt in
iudicio tuo extremo valeam securus
astare per te vnum.

DE PERMISSIONE PILATI
ut crucifigeretur.

Domine IESV Christe, qui senten-
tiam damnationis ad mortem, mortem
autem crucis innocenter subire voluisti:
Fac me iustam mortis sententiam, siue
in

in corpore siue in anima non sentire, &
tui amore iniqua hominum iudicia non
metuere.

DE BAIVLATIONE
crucis sue.

Domine IESV Christe, qui crucem
tuam proprijs humeris baiulare voluisti:
Fac me crucem actionis poenitentiae &
calamitatis apprehendere, eamq; post
te hodie & in omni tempore ob tui no-
minis amorem baiulare.

DEDUCTIO CHRISTI AD
locum Golgatae.

Domine IESV Christe, qui ad cru-
cifigendum ad Golgata duci voluisti:
Deduc me in semita mandatorum tu-
orum, vt cum mulieribus tuae sequar ve-
stigia passionis, & super meipsum fle-
am miseriam propriae conditionis.

DENUDATIO PROPRIO-
rum uestimentorum.

Domine IESV Christe, qui ante
crucem uestibus tuis expoliari & denu-
dari voluisti: Fac me ab omnibus mun-
danis rebus, in quantum sunt contra me-
am salutem, denudari, quatenus nudam
crucem nudus sequar, & tibi in te sem-
per placeam. Extens

EXTENSIO MEMBRORUM
Christi.

Domine IESU Christe, qui in cruce extendi voluisti ita atrociter, vt omnia membra tua & venæ tuæ dirumpere-
rentur, & omnia ossa tua numerarētur:
Fac me omnia membra mea, viresq; corporis & animæ meæ ad laudem tuam extendere, & ad amorphos amplexus tuos deuotiter aspirare.

CRUCIFIXIO EIVS.

Domine IESU Christe, qui durissimis clavis affigi cruci voluisti, ac per hoc chirographum peccatorū nostrorum, & mortis eidem cruci affixisti, confige quæso carnes meas, vt præceptis tuis firmiter inhærens semper tuæ confixus sim cruci, & in te saluus permaneam.

PERFORATIO MANVS
DEXTRAE.

Domine Iesu Christe, qui manum dextrā clauo perforari voluisti. Da mihi cuncta mala aduersantia in eiusdem manus tuæ dulcissimo vulnere reponere, & in eo contra singula aduersantia remedium salutiferum inuenire.

PER-

PERFORATIO MANVS

sinistræ.

Domine IESV Christe, qui manum tuam sinistram clauo perforari crucis affigi voluisti: Da mihi omnia opera mea bona, quæ tu operaris in me, in eiusdem manus tuæ sacratissimo vulnere cum gratiarum actione recondere, cunctaque neglecta mea per te adimplere.

PERFORATIO PEDIS DEXTRI.

Domine IESV Christe, qui sacratissimos pedes tuos clauo durissimo perforari crucis affigi voluisti: Da mihi quotiescunque cogitationibus, affectionibus seu desiderijs malis infector, ad vulnus pedis tui dextri recurrere, & exinde salubria medicamenta haurire, ut in te persistam.

PERFORATIO PEDIS SINISTRI.

Domine IESV Christe, qui salifico vulnere pedis tui sinistri fontem nobis gratiæ scaturire fecisti: Da mihi omnia bona desideria eidem vulneri tuo osculo amoroso infigere, & sic per ea tuis diuinis desiderijs nunc & in æuum coaptari.

C

E L E

ELEVATIO CHRISTI

in Cruce.

Domine IESV Christe, qui in cruce leuari, & sic à terra exaltari voluisti, in qua elevatione, & crucis in locum violenta intrusione, venæ, manus & pedes tui sanctissimi ex corporis tui pondere pœnosissime disrupti & lacerati sunt: Fac me quæso à terrenis affectibus subleuari, mente continua in cœlestibus conuersari, & omnes delectationes mundanas frangere, atq; cogitationes meas omnes in profundis vulnerum tuorum foraminibus collocare.

CRUCIFIXIO LATRONVM

cum ipso.

Domine IESV Christe, qui inter duos latrones crucifigi, & cum sceleratis reputari voluisti: Da spiritum meum in medio carnis & mundi crucifigi, quatenus extremis mihi confixis, in te medio conquiescam.

DIVISIO VESTIMENTORVM

eius.

Domine IESV Christe, qui vestimenta tua inter crucifixores tuos diuidi, & super tunicam tuam inconsutilem sortem

fortem mitti voluisti: Da mihi sanctorum tuorum exempla, cum mandatorum tuorum obseruantia participare, & charitatem semper integram seruare.

TITVLVS CRVCIS CHRISTI.

Domine IESV Christe, qui tituli triumphalis superscriptione illusoriè difamari voluisti: Da mihi sub eodem titulo tuo sic strenuè militare, vt tropheo tuo hostis perterritus non audeat appropinquare mihi.

DELVSIO CHRISTI PEN
dentis in cruce.

Domine IESV Christe, qui in cruce positus, exprobrabilibus verbis à sceleratis Iudæis illudi voluisti: Da mihi pro nulla diabolica vel humana suggestione de sublimi sanctæ religionis culmine descendere, sed in tui amoris amplexu fixum fugiter permanere.

BLASPHEMIA CHRISTO
insultarunt.

Domine IESV Christe, qui ab vno tronum tibi illusoriè exprobrari, & ab altero confiteri voluisti: Fac me pro

C ij

tui

tui nominis gloria malignorum insultus
æquanimitèr sustinere, & cum illo latro-
ne venerabilem paradisum possidere, ex
tua quoq; gratia.

CVRA CHRISTI DE

Matre.

Domine IESV Christe, qui in cru-
ce maternæ compassioni compatiens,
eam tuo dilecto discipulo commendare
curasti: Commendo tibi animam me-
am, & corpus meum in illa dilectione,
qua matrem tuam virginem, virgini
commendasti, vt tibi semper moriar &
viuam.

EXCLAMATIO CHRISTI

in cruce.

Domine IESV Christe, fili Dei
viui, qui hora diei nona pro salute hu-
mana pendens in cruce, voce magna
clamaſti: Hely, Hely, lamazabathani,
hoc est: Deus meus, Deus meus, vt qd
me dereliquisti: Da mihi in omni tribula-
tione & angustia mea ad te clamare vo-
ce cordis mei, nec tu me patiaris, velut
derelictum à te reprobari in perpetuum.

DE SITI CHRISTI.

Domine

Domine IESV Christe, qui nostram salutem sitiens aceto & felle potari voluisti: Fac me vinum deuotionis cum mirra carnis mortificationis, ac felle penitentialis compunctionis tibi digne offerre, acetum infidelitatis & scandali nequaquam bibere, sed gustare semper quam suavis es mi domine.

CONSUMMATIO PASSIONIS.

Domine IESV Christe, qui consummationem totius passionis tuæ, in summa Deo patri offerens dixisti, consummatum est: Da mihi omnia per me te perficiente & hoc operante, bene acta & passa ad tuam laudem consummare.

ANIMAE COMMENDATIO

in manus Patris.

Domine IESV Christe, qui in cruce moriens, animam tuam Deo Patri commendasti: Da mihi in hac vita tibi spiritualiter sic commori, quatenus tum in hora mortis meæ digneris animam meam miseram tibi habere commendamam.

APERITIO LATERIS CHRISTI.

A 3 Domi-

Domine IESV Christe, qui latus
corporis tui mortui, lancea aperiri
& exinde sanguinem & aquam exi-
re voluisti: Vulnera quæso cor me-
um lancea charitatis, vt tuis dignus ef-
ficiar sacramentis, quæ de eodem sacro
latere, quasi riuulus profluxerunt.

DEPOSITIO DE CRUCE.

Domine IESV Christe, qui hora
diei vespertina pro salute humana mor-
tuus de cruce deponi, & à Ioseph &
Nicodemo aromatibus condiri, & in sin-
done munda inuolui voluisti: Da mihi
de sacro altari tuo, ac si de ara crucis,
corpus tuum verum digne suscipere, &
virtutum aromatibus condire, mundoq;
corde & corpore ipsum iugiter seruare.

SEPULTURA CHRISTI.

Domine IESV Christe, fili Dei vi-
ui, qui hora completorij pro humana sa-
lute in monumento nouo exciso in pe-
tra sepeliri, lamentari, & custodiri vo-
luisti: Da mihi in toto corpore meo te
spiritualiter sepeliri, lamentari & custo-
diri

diri diligenter, vt ego tibi consepultus,
ad resurrectionis gloriam per te perue-
nire queam.

DE MORTE CHRISTI.

DEVS, qui pro nobis mortuus,
tribus diebus & noctibus in corde ter-
ræ iacere voluisti: Præsta quæsumus,
vt qui mundo mori, & tibi viuere de-
legimus, nunquam in morte peccati
obdormiamus.

DE RESURRECTIONE
CHRISTI.

Domine IESV Christe, per beatissimum diuinæ gloriosissimæ resurrectionis tuæ diem, quando suscitatus es, diuina potentia, & paterna voce dicente, Exurge gloria mea, & ab inferis victor mortis rediens, cum tanta multitudine sanctorum populorum, qui tenebantur in morte captiui, quos eduxisti de tenebris, factus spes desperatis, magna consolatio in tormentis, & rediuuius apparuisti tuis discipulis, annuncians eis pacem æternam cum gaudio dicens: Pax vobis, ego sum, nolite timere, data enim est mihi omnis potestas in cælo & in terra: Et ecce ego vobiscum

sum vsq; ad consummationem sæculi.
Præsta quæso mihi sub pondere peccatorum multorum depresso, & pro lapsu, tecum de vicijs ad virtutes resurgere, quatenus hic in prima resurrectione partem habens tandē in secunda, id est: in generali resurrectione ad læticiæ spiritualis splendorem resurgam, per tuam iusticiam & meritum.

O Domine IESV Christe, adoro te in cruce pendentem, & coronam spinæam in capite portantem: Depræcor te, vt tua crux liberet me ab angelo percutiente.

O Domine IESV Christe, adoro te in cruce vulneratum, felle & aceto potatum: Depræcor te, vt tua vulnera sint remedium animæ meæ.

O Domine IESV Christe, adoro te mortuum in sepulchro positum, mirra & aromatibus conditum: Depræcor te, vt tua mors sit vita mea.

O Domine IESV Christe, adoro te, descendentem ad inferos, liberantem captiuos: Depræcor te, ne permit-
tas

tas me illuc introire, & miserè dam-
nari.

O Domine IESV Christe, ado-
ro te resurgentem à mortuis, ascen-
dentem in cœlum, sedentemq; ad de-
xteram patris: Deprecor te, misere-
re mei.

O Domine IESV Christe, bone
pastor, iustos conserua, peccatores iusti-
fica, & omnibus fidelibus miserere, &
propitius esto mihi misero peccatori.

O Domine IESV Christe, rogo
te per amaritudinem passionis tuæ,
quam pro me in cruce sustinuisti: Maxi-
me in illa hora, quando anima tua sacra-
tissima de corpore tuo benedicto egres-
sa est, miserere animæ meæ in egressu
suo.

Gratias tibi referat Domine Pater
omnis lingua, superinenarrabili dono,
supereffluentissimæ charitatis tuæ. quia
vnico filio cordis tui non pepercisti, sed
pro nobis omnibus illum tradidisti in
mortem, vt & tantum & tam fidelem
aduocatum haberemus in cœlis.

DE TOTA VITA ET
PASSIONE CHRISTI ORATIO,
euius pars dicitur esse Ambrosij.

Domine IESU Christe, fili Dei
vivi, creator & resuscitator gene-
ris humani, gratias tibi referimus
immensas licet indignas, sed deuotas,
utinam & gratas. Quia pro nobis mise-
ris peccatoribus de coelis descendisti, &
de beata Maria virgine carnem assump-
psisti, de ipsa quoque nasci voluisti, Et
infantiles necessitates sustinuisti, pannis
fuiſti inuolutus, in praesepio positus,
vberibus lactatus, carne circumcisus,
Magis manifestatus, in templum praesen-
tatus, in Egyptum relegatus, ad patriam
reportatus, parentibus subditus, a Io-
hanne baptizatus, quadragenario ieiunio
attenuatus, ter a diabolo tentatus,
itineribus fatigatus, vigilijs, fame & si-
ti maceratus, praedicando, disputando
lassatus, compaciendo lacrymatus, a
Iudaeis reprobatus, & ab eisdem saepius
iniuriatus. Instante vero passione vo-
luisti contristari & moestus esse, vt ve-
rus homo pauere, & taedere positus ge-
nibus

nibus ter in faciem procidere factus in
agonia, guttas sanguineas emittere, pro
sudore. Ab angelo confortatus, à Iuda
denicq; fuisti traditus, & ab ipso fraudu-
lenter osculatus, Ab impijs cum impetu
comprehensus, vinculis quasi latro li-
gatus. Solus prophético ore dere-
lictus discipulis metu fugientibus. Ad
Pontificem Annam primum dedu-
ctus, ibidem alapis percussus. Mis-
sus ab ipso ad Caypham vincus, ibi-
dem multipliciter derisus, In consilio
Judæorum statutus, ibidem per falsos
testes mendaciter accusatus, morte tur-
pissima condemnatus, sputis facie
contaminatus, obprobrijs laceffitus,
contumelijs affectus, facie velatus, co-
laphis cœsus, palmis iterum percuf-
sus, multimode blasphematus, vin-
ctus Pilato traditus. Ad mortem instan-
ter accusatus. Herodi à Pilato missus,
ibi nihilominus criminatus. Ab He-
rode & exercitu eius spreus, indutus
alba veste ad Pilatum remissus. Nudus
ad columnam iussu Pilati ligatus, & vsq;
ad sanguinis emissionem atrociter fla-
gellatus. Ab eodem morti adiudicatus,
ad

ad crucifigendum militibus datus, à qui-
bus iterum exutus, veste purpurea
indutus, corona spinea coronatus arun-
dine pro sceptro irridendo insignitus,
genu flexo derisorie salutatus, irriden-
ter rex Iudæorum nominatus, tertio
alapis cæsus, iterum facie consputus,
arundine capite percussus, veste pur-
purea exutus, ligno crucis oneratus, ad
locum passionis cum latronibus ductus,
ibi myrrato vino cum felle potatus, ve-
stibus proprijs tertio exutus, in cruce
demum extensus, clavis manibus &
pedibus cruci confixus, & cum scelera-
tis reputatus, in cruce eleuatus, Intuen-
do matrem dilectam dolorosam, com-
mendans eam discipulo eidem compas-
sus. A prætereuntibus quoq; & astan-
tibus pendens in cruce, crudeliter blas-
phematus. Clamans, Deus meus, De-
us meus, vt quid dereliquisti me. Tan-
dem sitiens, aceto potatus, Inclinato ca-
pite mortuus, à milite lancea latere per-
foratus, vnde exiuit sanguis & aqua.
Serò de cruce depositus, in monumento
à Ioseph sepultus. Resurgens tertia die
tuis apparuisti. Quadragesimo die cœ-
los ascendisti, sedens ad dexteram pa-
tris


eris, promissum paracletum discipulis
misisti. Demum ad iudicium venturus,
singulis iuxta facta eorum bonum vel
malum es redditurus. Tu Domine
I E S V Christe, per hos sanctissimos
dolores tuos, & per mortem tuam præ-
ciosissimam, & per preciosissimum san-
guinem tuum, pro nobis effusum: Atque
per omnia alia tua merita, per tuam
quoque ineffabilem misericordiam, ac
per preces pro nobis oblatas, me for-
didum peccatorem, & eas qui meas
preces desiderant, cognatos & pro-
pinquos amicos & inimicos meos, &
omnes pauperes temptatos & desola-
tos, victos & infirmos, & omnes pro
quibus orare teneor, atque omnem po-
pulum Christianum à tribulationibus &
angustijs eripe, à diaboli laqueis, & à
peccatorum vinculis, atque ab omni malo
animæ & corporis nos libera & salva,
& ab his nos semper protege. Omnes
cogitationes & actiones nostras taliter
guberna pro tua gratia per spiritum san-
ctum, ut tibi sint acceptabiles semper.
Tua gratia, ac sancta pace, atque omni
virtute nos reple, & in his usque ad mor-
tem nos perseverare tribue, bonum fi-
nem

nem vitæ nostræ nobis concede. Et nos
post mortem duc ad vitam æternam,
quia tu es vita, via & veritas, Qui cum
patre & sancto Spiritu viuis & regnas
Deus, per omnia secula seculorum,
Amen.

Domine IESV Christe, qui passus
es pro nobis, miserere nostri. Qui vul-
neratus es propter peccata nostra, & at-
tritus es ppter transgressiones nostras,
miserere nostri, vt semper iuxta Pro-
phetam tuum in liuore tuo nobis medi-
catum sit, & in vibicibus tuis nos miseri
& vlcerosi sanemur. Da Domine IESV,
vt passio tua mihi in agone mortis sit
consolatio plena, & in die iudicij suffici-
ens pro peccatis satisfactio Fili DEI
viui, da mihi misero peccatori, vt tua
sanctissima vulnera sint mihi medi-
cina animæ meæ in perpetuum.

Fili DEI miserere mei,
ne in me vnquam pe-
-reant tua meri-
ta, Amen.

F I N I S.



153538


AB: 153.531


ULB Halle

3

004 829 395







DEVOTIS-
SIMAE ORATIONES ET

MEDITATIONES IORDANI
quondam Monachi ordi-
nis D. Augustini de
Eremo &c.

DE
MORTE, CRUCE, VVL-
NERIBVS, ET PASSIONE DO-
mini nostri IESV CHRISTI.

QVAE
VSVM, FRVCTVM ET
mysteria Sanctae dominicae passi-
onis breuiter tradunt.

NVNC EMENDACIVS ET SYN-
cerius quam aliàs unquam edita.

Cum praefacione Hermanni Hamel-
manni L. T. de Iordano ipso, & hu-
ius scripti vtilitate: Deinde de fructu
passionis CHRISTI.

M. D. LXX.

